

## PRAEFATIO

doctrina et ingenio illustraverunt. in singulis vero fabulis etiam plures cum fructu elaboraverunt, quorum Blomfield, Franz, Conington, Enger, Schneidewin, Verrall, Blaydes, Tucker, Davies, Wilamowitz-Moellendorff praesertim nominandi. eorum porro qui coniecturis corrupta emendaverunt vel amplior indies crescit numerus; quorum Cobet, Heath, Meineke, Musgrave, Madvig, Tyrwhitt, Ellis, Headlam, Campbell, certe haud omittendi. postremo nulli maiores debentur gratiae quam viro doctissimo Nicolao Wecklein, qui praeclaro labore et ingenio et poetam ex omni parte illustravit, et studiorum viam aliis reddidit planiorem; Augusto Nauck, qui summa arte et industria Fragmenta denuo collegit explicuit emendavit; Hieronymo Vitelli et Henrico Rostagno, quorum cura et sollertia est factum, ut Medicei codicis imaginem possimus omnes et photographi arte expressam intueri et doctissimi scientia accurate descriptam perlegere.

A. S.

*Scribebam Oxonii*

*Mense Novembri M.DCCC.XCIX.*

In hac recensione errores aliquot vel in textu vel in commentario critico repertos correxi: in duobus tantum locis pro codicum lectione (quam in priore editione retinueram) hic recentium coniecturas accepi, scilicet Supplices 121 λινοσιωεῖ (Tucker), et Pers. 815 κρηνὶς ἀπέσβηκ' (Housman).

*Mense Octobri M.DCCCC.II.*